

Cum itaque extra dubitationis aleam constituatur, quosdam saltem, in vasto Turcarum imperio, studiis operam navare, accedamus propiùs & quibus disciplinarum generibus, quove successu, se addicant, confideremus. Poësin certè à Pseudoprophetâ suo averfari jubentur. Nam ut Plato olim Poëtas è Republ. ejiciebat: ita pariter in Alcorano (2) carmina pangere omnino prohibe-

B 2

hibe-

(2) Alcoranus, quem etiam Phurcanum & Alphurcanum dicunt, in certa capita, sive Suratas (in singulari Surato vel Assurato, unde apud Latinos Asuar vel Azoarata vocatur) dispesci solet; non tamen apud Muhamedanos omnes, eodem modo. Nam (quæ verba Gulielmi Postelli sunt L. 2. de Orbis Concordiâ c. 11.) *in Africâ & Ægypto Hispaniâque aliter, aliter in Arabiâ dividitur. Sunt in quibusdam Asuar id est capita CCXI. quatuor libris comprehensa. Volunt alii esse CXII. ut habeo in meo Africano. In Asiatico videntur esse triminus. Verùm ista nihil ad rem: Est, quid contineat, perpendendum.* Versiones aliquot prodierunt, nempe Latina per Robertum Retinensem Anglum & Hermannum Dalmatam, à Theodoro Bibliandro Tiguri cum notis edita; itemque Gallica per Andream du Ryer: Ajunt & Anglicam An. 1649. Londini lucem aspexisse; sed eam nobis videre nondum contigit. Germanicam versionem Salomon Schweiggerus ex Italicâ adornavit & quidem, ut Præfatio habet, *ex tali Italicâ, quam Constantinopoli, in Legati Cæsarei ædibus, duo Interpretes Græci, Arabicæ linguæ peritissimi, magnoperè laudarint & versionibus reliquis omnibus, prætulerint.* In eâ Alcoranus dispescitur in tres libros, quorum primus tredecim, secundus viginti septem, tertius nonaginta sex capita complectitur. Atque hac editione in præsentiarum usi sumus, quod propter frequentia allegata, fideliter inde petita, Lectorem celare non debuimus. Notum equidem nobis est, Cl. Theodoricum Hackspanium in libello *de Fide & Legibus Muhamedis*, versioni huic parum tribuere, eâ solum de causâ, quod Seldenus Italicam versionem, ex quâ Germanica fluit, imperfectionis accuset. Sed hoc non moramur (1.) quia meliorem versionem non habemus. (2.) Quia Leges omnes, in quibus summa religionis Muhamedicæ, juxta laudatum Hackspanii libellum, consistere dicitur, in Germanicâ versione Schweiggeri inveniuntur, ita ut ne in unico quidem articulo, contrarium posuerit; unde & de reliquis benè sperare licet. (3.) Quia nec Hackspanius in Germanicâ, nec

Selde-